

P. Lateribus quæ rectum includunt datis, ratione uel magnitudine, Pythagoræ inuentum dabit Hypotenusam. Deinde ea posita 10000000. partium, 19 Septimi Euclidis dabit alterum includentium rectum, atque hoc latus, de tabula subtensarum in circulo reftarum linearum, angulum quem subtendebat, & is à recto reliquum. Nunc uerò si maius includentium rectum, posueris 100000000. & in iisdem exquisiueris minus includentium rectum, de secunda serie, & hypotenusam, & ad sinistram angulum minori lateri, ad dextram angulum maiori lateri respondentem desumes. Sed si res postulet, ut minus latus sumatur 100000000. partium, maius iisdem in partibus exquiretur, & tertia Canonis series hypotenusam, sinistra uero minorem, & dextra maiorem angulum exhibebit. Ita uides te liberari à Pythagorico inuento, eo in casu, qui frequentissimus incidit in Astronomicis, à quo tantopere abhorrebas. Sed quid si te is Canon in doctrina Triquetrorum globi, maioribus adhuc molestijs liberet?

H. Agnosco hoc quod exhibet beneficium, maximum esse, & summus uir Regiomontanus noster, si ad triquetrum cum angulo recto respexisset, & non ad semisses subtensarum, is, & qui eum secuti sunt, non tabulam fœcundam, sed fœcundissimam exhibuissent, itaque iam manifestum fit, quod uel sola logistica doceat in huius Canonis hypotenusam, totas primi motus tabulas Regiomontani nostri ad sextantes partium contineri. Ut ad hanc excogitationem iustius exultare animus, & illam successus insperati uocem  $\epsilon\upsilon\pi\eta\alpha$  emittere possit, quàm Syracusanus senex, ad suum balnearium inuentum, ut accepimus.

P. Ita est, & cum summa admiratione ab ipso autore hoc accepi. Sed qui tibi hoc in mentem uenire potuit?

H. Quid miraris? Logistics compendia mihi etiam non cogitanti talia suggererint, quippe quæ mihi ostenderunt, immerito Ptolomæum à Gebro reprehendi, quod in quantitatibus sex perquirat ignotum, hoc enim Geber in quatuor tantum uestigat, & tamen Ptolomæo quoque illæ non nisi quatuor sunt, si ad compendia Logistics respexeris.

P. Hoc illud est, cur tantopere Logistics compendia, Ioachimus noster commendat, semper hoc addens, cum olim arduiisset de quodam, qui se totum Mathematicis dedit, quod & parui faceret Logistics compendia, & hac uoce iuuentutē dehortaretur à sedulo in ijs exercitio, spero me non pœnitendam operam in Mathematicis posuisse, & nostri adhuc labores posteritati seruiant, tamen neque operam in Logistics compendijs posui, neque ijs utar in meis lucubrationibus. Ibi Ioachimus noster. Ingredieris igitur Mathematica, ac si quis certamen Olympicum instituat curru habente quadratas rotas.

H. Concinne, sed reticendum tamen, ne quis plerosque Logistas, quibus Euclides ignotus non sit, dicat magis ad Astronomica idoneos, multis Academiarum Quadruuij professoribus. Sed est ne aliud præterea, quod nos à molestijs doctrinæ triquetrorum globi liberet.

P. Est quidem, sed per hunc Canonem, & triquetrorum in planicie doctrinam, nos etiam liberauerit ab inuento, quod sibi Geber ascribit, & postea à Peurbachio, Regiomontano & Vernero est excultum.

H. Quomodo hoc fieri queat non uideo? cum Ptolomæi sex quantitates, propter imperitiam Logistics, antiquatæ sint. Et tu Gebri quatuor, quæ illis successerant, nunc reijcias.

P. Non meministi te apud Copernicum legere, Angulum solidum sectione trium maxi-

MORUM